



Xl, 72.



Z f
550



11.72.

4) 564.

SCHEIDT
KÖNIGLICH
BIBLIOTHEK

PETRI SAMVELIS
THIEDERICI
JENENSIS

LAUDATIO.

SCRIPTORE

JOANNE HENRICO
BOECLERO.

ARGENTORATI. TYPIS DAVIDIS
HAVTI.

ANNO MDCCXXXIV.



M
17
178

BETRI SAMUEL
THEODERIC
JENNENSIS

A. ADAMATI.

30111011



ARGENTORATI VITIS DAVINIS

ANNO 1783



VIRO CONSULTISSIMO AM-
PLISSIMOQUE DN. PETRO THIEDERICO I. V. D.
SANCTIONVM CRIMINALIVM PROFESSORI
& Antecessori in alma Salana, ut & Iudicii
Provincialis Adfessori
S. P. D.

Patrone Excellentissime.

Quæ de incomparabili Juuene, Filio Tuo, hic commentatus sum, in iis ut præter debitum amicitiae munus, & candorem bonæ mentis nihil spectes, etiam atque etiam rogo. Viximus, dum uita suppetebat ea caritate, ut fratrum, ea conjunctione, ut perpetuo debitorum possemus ad inuicem titulo nosci. Frustra autem amicitiae vocabulum crepat, qui amicus esse vel post facta desinere potuit. Ubi cum maxime & ostendi sinceritas, & declarari animus bona fide gratus potest. Atque si ipsum dictionis, quod secutus sum, genus consideretur, longe longeque mihi sollicitas verborum substructiones, & ornamentorum pompam, & curam adoptivæ magnitudinis fuisse, qui tuis intelliget. Frequentior illa quam melior consuetudo, cum veritatis rerumque interritamento sibi tantum consulere solita, ad postremum vix aliud, quam vitiorum conspectioribus virtutis seueritatem & habitum induisse, extantissimas autem laudes histrionia quadam acridicula larua temerasse, cordatorum iudicio deprehenditur. Cælitis Nostri laudes nemo interpretando ita exornauerit, quin plus referendo commendentur. Solem & præcipua siderum digito monstramus interdum ex inferiore loco, nunquam recte laudamus; quod ipsa id sibi muneris reseruarint. Idem hic mihi institutum, idem euentus; nihil locutus sum, quod suavissime ac perspicue loquentem ipsam rem uel interturbaret, uel excederet. Quamquam id sane omnes mecum agnoscunt, illustrissimas laudum illustri quoque voce & exacta dignas fuisse. Quod, si ipsarum potius, quam opinionis interesse ac speciei credimus, non est, cur
): (2 despere-

desperemus de grandiorituba, quam post hanc meam tibiam, ex-
plendi cupiditate officii canere ausam, decora & sublimia ingenia
mox inflabunt. Quorum sibi plura similitudine doctrinae P E T R V S
Noster pignerauerat. R V M P L E R I constantiam, & expertum
literarum studiis animum iam nosti; coeteros officio fors prius,
quam nomine scies. Adeo non deerunt, qui aeternitatem tanti no-
minis omni conatu studioque iuuare, in felicitatis parte habe-
bunt. Tu uero Magne Vir, paullatim assuesces, opinor, aegritudini
temperare, ex animo imaginem miserandi casus proscribere, me-
lioribus Tui Filii obtutibus uacare, constantiam & laeti animi
spiritus haurire, id est, talis semper esse, qualem genuisti. Viuit
interea uigetque T H I E D E R I C V S; felicior ille quidem no-
bis, totoque orbe superior. Quare quem Magnum Incolumemq;
omnes cupiebamus, eius Maximae Aeternaeque Beatitudini iam
fauere, & ad eam nostra feliciter uota iactare, tempus est. Vale
Patrone Venerande, meque Tuo fauore, uelut haereditario, porro
dignare. Per scrib: A R G E N T O R A T I. Ante diem tertium
Non: Octob: Anno C I C I C X X I V.

Excellentiae T.

Observantis:

Joannes Henricus Bœclerus



AD STUDIOſOS BONÆ MENTIS,
THIEDERICI

Laudatio.

Amici rectissimi.



I, quam facile luctus vehementia vo-
cem includit, tam in procliui esset pie-
tati inclusam non rumpere; forsitan &
ego protrudendæ è latebris suis, qui-
bus solis tuta esse mallet, infantix meæ,
& vos, tum legendi inornatam orationem, tum i-
gnoscendi necessariæ molestiâ supersedere potuis-
semus. Nunc, cum vnum sit officium, quod reli-
quis sincerius, sibi que ipsum est præmium, defun-
ctos honestare; tanta in illo vis esse animaduerti-
tur, vt grauissimas omnis ætatis ac memoriæ gentes
post iniurias corporum vestiumque, post ieiunia,
vnguenta, ludos, victimas, aliaq; luctus instrumen-
ta, ad lamentationum quoque impensissimarum
mollitiem & præficas adegerit. Quas, vt imbelles
nationum taceantur, Hebræis pariter Romanisque
adhibere visum. Quanquam leuia hæc & talia vi-

A

deri

deri aut vana, præ funebribus illis, Romæ vsitatis,
laudationibus queant. Quo more nullus ferme
sanctitate illustrior, aut vtilior exemplo, aut æterno
populo dignior excogitatus est. Quantum enim
solatii parentibus cognatisue, à quibus, aut doctis
viris, id officii præstabatur, in eo credimus relictum,
cum commemorata publice suorū vita, omnium
assensu discerent, se nō magis necessitudine, quam
publicam rem bono ciue carere? Quantum autem
bonæ mentis interesse felicitatisq; communis exi-
stimandum est, nunquam inhonoratam dimitti
virtutem, animosq; reliquorum in præsens iucun-
dissimo rerum eximiarum aspectu pasci, in-poste-
rum stimulis ac exemplo, in laudata quæque acui
& attolli? Cum præsertim haud paullo plus effica-
ciæ habeant in propinquo posita, ac domestica
gloriæ præmia, quam è vetustissimis eruta sepulcris
monumenta. Nobis certe ad tam præsentis ac be-
nifici sideris memoriam hæsitare diutius, aut cæ-
cis esse nequaquam licet. postquam non ita pridem
PETRVS SAMVEL THIEDERICVS, nobilissi-
mus omni laudum genere Iuuenis, crudeli leto da-
tus est. Cui exequias maxima frequentia iuisse pa-
rum est, nisi ingentes illas dotes, quibus ætatem ac
pæne

pæne seculum supergressus est, debita veneratione
prosequamur. Quarum si quis solam deploratio-
nem relictam nobis opinari potuit, is & fructum
superesse, velim intelligat. Quæ res cum sufficere
sola debuisset, grauiori tamen molimine, hoc vt
fufciperem, quod videtis, sum adductus. Amicitia
enim, cuius vix nomen hodie intelligitur, ipsiusq;
adeo humanitatis titulo indignus sim, nisi potissi-
mam arctissimamque mei partem auulsam supre-
mo saltem munere, dum propius fata admoucant,
sequar, præclarosque manes & exemplum nemini
inuideam. In quo nulla equidem ab amore veritati
iniuria metuenda, nullum memoriæ ac rebus vi-
tium; quod antiquorum nonnulli haud satis vitaf-
se arguuntur: eæ enim sunt virtutes Thiederici, vt
explicari singulæ vix à doctissimis, vniuersæ à ne-
mine recenferi; capi autem sola recordatione, sola
mentionem à scientibus ostendi possint. Enimvero
sublime & erectum ingenium statim paruulus o-
stēderat. Quod & locus, opinor, & natales haud pa-
rum iuuerant. In ipsa n. sede ac magistra studiorum
Ienâ, patre ingentis animi doctrinæq; gloria noto,
matre, præter Schilteriæ familiæ decus, rarissimæ
virtutis fæminâ, genitū, simul cælo suo ad virtutem,

A 2

simul

simul generosi communione sanguinis ad non
degeneres impetus aut dissimiles, inter viuendi i-
nitia animatum traductumq; constat. Itaque cer-
neres iam tum è claustris integræ bonæque naturæ
emicantem illam flammam, & serpentem, & vi-
uentem, & illos, qui mox robore auctam & viribus
secuti sunt, triumphos minitantem. Indicia ubiq;
manifestissima excelsæ indolis, imitamenta in lu-
dicra ætate seriorum ac meditamenta, dicta factaq;
in puero non puerilia quotidie notabantur. Libros,
scientiam, laudem vix vocabulo nouerat, & appe-
tebat. Auctorauit itaque præclara desideria parens,
misso in Gothanum ludum filio. Diu iam est, quod
is locus comitate literarum ac felicitate remotio-
res quoque allicit. Sæpe experimentis cognito,
quanta cum melioris disciplinæ, solidæq; eruditio-
nis iacturâ, primordia studiorum neglectui, vt vi-
lia, habeantur, quamque Gotha pleraque gymna-
siorum eius rei laude excedat. Transegerat iam ra-
ra industriæ strenuitatisque & modestiæ laude, qui-
bus nemo ipsum anteibat, sub conspectu & cura
rectorum, pueritiam, animumque non temnendis
profectibus excoluerat. quod sub discessum eius
præcipue apparuit: nam & adhuc valedictoria
eius

eius inter rarissimas ætatis tam teneræ (tredecim annorum erat) palmas viri docti numerant. cum ad suos reuersus, non gaudio magis ipsos, quam cæteros spectaculo tenuit. A deo per omnem honestarum optimarumque artium cultum missâ solertiâ, nihil usquam ingenuum, aut decorum, aut egregium nosci absque se sectatore patiebatur. A contagione seculi & peccantium illecebris, non coercionem, sed sua sibi lege remotissimus. nihil ineptius ratus, quam ad segne otium & licentiam titulos studiosorum cum inscitia referre, aut ætatem eam extra ipsam perdere, cuius fructus ac noxa reliquam vitam vel sustentaret, vel affligeret. Tempori intentum esse, conscientiam studere, cogitare patriam, doctis adhærescere, ad optimorum gloriam surgere, ardua virtutis ac scientiarum sequi, humilitatem vitiorum calcare; ea vero literarum cultores decere. Id quod illustri exemplo ac egregiis conatis, velut exprobrata errorum vilitate, in oculos dissimilia consuetantibus non destitit impingere. Habebat nimirum Thiedericus, Amici, igneam & cælestem illam mentis vim, quæ cum vitam omnem, omnes actiones, format ac regit, sic demum hominem suæ dignitati, suæ origini proxime ad-

A 3

mouet.

mouet. Quam cum Socrates, cum Plato, quæ ceu
miracula Philosophorum intueri soleo, persenti-
scent; extra se ire, vniuersum hoc superuehi, in
cælo esse, ac Deorum coetibus permisceri sibi vide-
bantur. Nisi quod hic longe plus Christiani possu-
mus. quibus certo ad Diuinitatem gradu niti da-
tum est. Cuperem vero, Amici, eius rei pulchritu-
dinem ob oculos vobis ponere, nisi facundiam hu-
mana augustiorem requiri intelligerem. Quæ e-
nim vox illos motus, illam velocitatem exprimat,
qua cælum, solem, tempus, rapidissima rerum, ala-
cer ille mentis vigor superat; qua nec quietem to-
lerat, dum inter sublimia cælestium admissus, vi-
tam ac naturã autumet, quod alii laborem vocant,
agere, currere, honestorum facinorum pretio se
metiri; nec carcerem patitur, quo, velut nascendi
necessitate, conclusam in mortaliũ imbelles omnem
indolem, priusquam liquidum & ætherem pati di-
scat, fœde suffocant, & immemores suæ originis &
accusatores. Quis gaudia dicat, intra quæ inclusus
sibi que intentus ac sufficiens animus facile tanta
securitate omnia despicit, quantis curis ambiuntur
vel vitantur; ipse felicitatis suæ ubique materia, fir-
mamentum, terminus? Quis immortales inter
mor-

mortalia viros, & in terris nil terreum habentem
vitam æstimare, vt oportet, aut cōmendare queat?
Nunc quoque, ne pollutæ traductæque ignobili
mentionē sublimitatis postuler ab idoneis tanta-
rum rerum iudicibus, verendum habeo. Ab hac
igitur indole, ab hoc genio perpetuus ille in Nostro
audendæ agendæque rei ardor & successus: siue tu
vtrumque, propius ad rem accommodando voca-
bula, fortem conditionemque naturæ eius malis
appellare. Et vtebatur non incommodo aut abfi-
mili corporis hospitio, quod procerum, validum, e-
legans, spiritu ac vigore plenum ipsi contigerat.
Non temere feliciter iugasse quidquam natura dici
potest: adeo respondebat votis & dominio excel-
sarum cogitationum. Igitur viso aspectoque acer-
rimo Iuene, nemo indolem quærebat, omnes in-
terpretabantur, vultu, vt solet in erectis, ingentem
animum præferente. Quem vt omnis veræ gloriæ
splendor, ita literarum præcipue rapiabant studia
ac sapientiæ. Ex qua, rarissimo artificio, nihil præter
ipsam retinuit. Videbat misere pridem habitas si-
nisteritate seculi bonas artes, tum colore, artibus,
vi omni ac neruis spoliatas, ac in nescio quod exi-
lium eiectas, sperni plerisque ac ignorari. In qua-
rum

rum locū inualida simulacra, cinnis ac fūco mirabilem in modum noua ratione obtecta, nomine scientiarum ac laudibus circumferri. Quo mango- nio nullum foecundius vnquam extitisse. Et pro- fecto, quemadmodū qui deliciis ciborum ad pro- brum naturæ & simplicis recti natis, improbaque varietate excultis, assueti sunt, nihil, vt est matre na- tum, integrum solidumque, desperata talium con- coctione, in stomachum demittere sustinent: ita e- ruditionem, illam priscam, masculam, succiple- nam, illustrem, robur denique totam, non intrare fastidientes animas, absque quæsitissimis pariter & stolidissimis scitamentis. Quibus ipsam amitti, sola nuditate ac sua sibi indole tutam. Nam quid aliud fere, quam paleas plerisque & carbones, pro alma rerum plurimarum fruge, arridere? Eapropter me- lius curatiusque subducta ad sapiendum ratione, ut non in quærendo contereretur, sed in fructu ade- pto suauiter vita atque ætas ageretur, operam de- dit. Iam primum non contentus vulgari aut me- diocri linguarum cognitione, penitissima quæque in Græcis Latinisque inuadere, auctorum præstan- tissimos labori suo vindicare, hos in oculis, in sinu ferre, horū diuitias & eloquentiam mirari, amare, quique

quiq; pulcherrimus inuictæ contentionis fructus
habetur, imitari; in hoc denique scientiæ plerum-
que ponere, vt eius fontes mature occuparet. In
quo eius solertiam operæ est pretium introspicere.
Videas enim nonnullos, qui, cum viam sectandæ
eruditionis ac legem sibi in diffusa infinitaque le-
ctione latissimam constituerunt, id videntur haud
raro consequi, vt post plurima vnum nondum le-
gerint aut cogitarint, quo modo aut fine legen-
dum. in quo cætera ac eruditione verti satis liquet.
Quidam cum voluptate lectionem & obvia quaq;
specie metiantur; eligendi artificiũ, rem tam saluta-
rem, tam iucundã, & vident & relinquunt. Sunt, qui
in scriptorib⁹ semper extra eos, aut præter propter;
sunt, qui supra eos, Dædaleis plane nisibus, versan-
tur. nisi quod vtriq; infra eos aut procul videntur
subsistere, neque quidquam promouere. Inuenti
quinetiam sunt prope metam, quorum nemo se-
mitam hætenus sapuerat. Denique alii omnia, alii
nihil, plerique male, aut, vbi multum processerit,
infeliciter assumunt, quæ nunquam concoquunt,
& vbiq; cum iniuria politioris doctrinæ euomunt.
sine emendatione admodum sui morbi. Quam-
quam suasisse id dudum Lexiphani antiquario Lu-

B

cianum

cianum scimus. Noster, circumspēctus, si quis, tā-
lium prouisor, longe longeque diuersum iter in-
tendit: tantum intra laudem relictis despectisque
his omnibus, quantum ipsi cordatiores despicie-
bant. Itaque per æterna illa monumenta ita animi
vigorem & magnitudinem cogitationum circum-
tulisse visus est, vt plenus eo, quem intuebatur, spi-
ritu, maiestatem rerum verborumque caperet feli-
cissime, diiudicaret solertissime, notaret ac in suam
possessionem transferret promptissime. Nihil il-
lum, quam aut inuentum subtiliter, siue apte con-
cinnatum, siue enunciatum ornate esset, latebat.
Copiæ, grauitatis, amœnitatis, suauitatis, breuitatis
genios omnes; tum quid sublimis illa humilitas,
quid ex plurimis constans maiestas posceret, nemo
exactius percalluit. Nihil splendidum, nihil seue-
rum, castigatum, grande, tersum, venustum, pro-
fluens, quæque similia nemo frustra obseruat aut
negligit, obuenerat, quod ex animo Ille ac mani-
bus dimitteret aut præteriret. Igitur satis perspe-
cto, quosdam magnos potius viros, quam absolu-
tos, alios plus elegantia quam sagacitate, multos re-
bus magis quam verbis, unumquemq; autem pro-
pria quadam ac sua indole censendos; nec in ipsius
anti-

antiquitatis vnquam verba iurare, non semel quippe obnoxiam expertus, nec omnia omnibus tribuere, nonnulla autem seculo, nonnulla moribus ac nationi, nec minus materiæ aliqua condonare rectæ mentis credebat. Singula quippe hæc miscendum inter se ac temperandum esse, ut omnia natiuam beneque compositam orationem deceant. Quæro hic, & volo, vt periti mihi respondeant, quam hoc magnum: quamque illud maius, quod rerum nobilissimas, gravissimas, subtilissimas ad illum disciplinarum artiumq; orbem, vnde petebantur, suis quasque rationibus reuocauit, exegit, discreuit. Eant nunc, quos & ignorare recta, & inuidere hæctenus pulchro iuuat, verborum aucupes, si lubet, nuncupent, qui cum linguis & scriptoribus illustrissimarum rerum diuitias cumulant: quas nec separari ab istis studiis posse, sciant licet. Eant, inquam, & summam probrorum, Criticum, ingeminent, artemque publico ac sapientiæ bono natam, nobili pretio, oblatrent, vt nunquam intelligant. Nobis sedet sedebitque, caput scientiarum esse ac fundamentum, ne vna negligatur, quæ omnes continet. Qua quidem sublata, quid est, quod in diuinis humanisque lucem speremus ac succes-

sum? nisi quis Hieronymos, Origenes, & his gemi-
nos magnos fuisse, quod, post pietatem, his præci-
pue magni; aut quod non alio magis sacrorum in-
terpretem æstimarent, ideo in Theologia extitisse
summos, negatum ire audeat. Ne iam Cratetas,
Stagiritas, Aristarchos, Scaligeros tantum loqua-
mur. Sed redeundum est ad Nostrum. Qui eodem
animirobore Gallorum, Italorum, Hispanorum,
aliarumque gentium linguas hausit. haud perfun-
ctorie, quidquid eminere apud eos librorum acce-
perat (& nihil effugiebat eius curam) perlustratis.
plane quasi nullas reciperet metas admissa semel in-
egregios carceres industria. Ita nunquam suffecit
ei intellexisse, nisi & scriberet; neq; scripsisse, nisi
& peregrinis sonis loqueretur. In quibus labori-
bus intentus, acer, & ad exemplum usque perspicax
multa Latine, multa vernaculo sermone conuerte-
rat. Eo successu, vt, cum aliis aqua plerumque in ex-
primendis talibus hæreat, ipse semper aliquid ad
meliolem rationem, ex instituto artis, quam dixi-
mus, referret. Equidem repetenti mihi eius sermo-
nes, quos de literis, quoties alter visebamus ad alte-
rum, instituisse memini; præsentissime animo ob-
uersatur haud usitata doctrinæ ingeniiq; species, &
candor,

candor, & dexteritas, quid nisi Varronem seculo, & plus datura? Accedebat memoria prompta, tenax, fida: qualem iungi cum isthac intelligentia potuisse, monstri simile erat. Accedebat assiduitas tanta, quanta in annales, ad exemplum antiquorum, referretur, nisi minus nostra curaremus. Non cibus eum, non somnus auocauit: quorum arctiora fecerat tempora generosa discendi auiditas. Diceres vbiq; ei adstitisse Sapienciam, atque per se iam currenti ad artem & vsum stimulos addidisse: pergeret vero clarissimus Iuuenis, per abrupta omnia ac obstantia euaderet, contingeret optabilem metam; quodque in eo præcipuum est, nihil differret. Nomen & famam, non pænitenda, eademque certa laborum præmia manere. Quorum suaui perpetuaque memoria facile amaritudinis reliquum obliterari. Et quo, nisi actionibus vitam, aut silentio distingui? Rursus quosdam agere, quosdam videri agere. Aspiceret illum spe sua anxium, vt eam mox desperet; istum ambitu sedulum, quo mox excidat: alium timore, plures cupidine vario fatagentes, & discursu in sua vota trepidantes, vt mox dicant, quid agimus? Hos omnes integro adhuc anni Platonici itinere à vita abesse. Quæ nisi ad suam sca-

B 3 turigi-

turiginem euehatur, pudenda mors esset. Hæc autem, ut in rectam mentem aliquid possit, id ne summus Deorum vnquam fineret. Neque profecto robur cælestis auræ detrudi huc sine iniuriâ posse, aut detrudentis exitio. Lætari suo æthere, euolare, nullis cæli sublimibus, nullis terræ abditis parcere, bona quæque industriâ, orbem vtilitate completi, hanc demum esse mentis, id est, solam vitam. Itaque sapiendo viueret, ne vnquam moreretur; cui cæteroquin semper moriendum esset. Quæ cum similibus quin quotidie animo agitauerit Noster, tanto minus dubitare potestis, A. quanto sanctius adseuerare & ego animum mihi perspectissimum, & sese res ipsa potest. Quid enim eximium, rarum, peregrinum, occurrebat, quod ille ignoraret, de quo non apposite differeret ac doceret alios? Antiquitatis præsertim omnis scientissimus: in qua nihil cuiusquam diligentia concedebat. Quidquid vsquam monumentorum, quicquid eruditionis ignotæ, quidquid moris vetusti regionibus singulis aut celatur, aut negligitur, memoriter tenebat. Nec adhuc persequor hæc, sed tango. Sic tamen laborabit fides nostra, ut credatur vnum habuisse, quod in multis desperatur. Tanta tamque ineffabili

bili multitudine rerum scitu dignissimarum exiguo tempore compotem vidimus. Et decebat hoc Poëtam. In quo, vt & in Oratore, omnem eruditionem requiri ac scientiam, antiquitas credidit. Ad quam redeundum nobis paulisper est, A. vt recte de pretiosissimo mentis humanæ opere, quodque nullo magis quam maiestate sua contemptum non capientium incurrit, sentiamus. Concipiendus est igitur augustæ doctrinæ, augustioris animi vir quispian, qui sermone vivido, veloci, numeroso, eleganti; tum rythmo conuenienti, & harmonia exacta, omnia, quæ facta sunt, aut fiunt, imitetur: idque modo ac arte non eadem, quamuis iisdem instrumentis. Ludos tibi dabit, dabit seria: vtraque iuxta id, quod vtrobique decet. Narrando explicandoque docebit: idem qui, vbi volet, exemplo & ore alieno vtetur, vt suum impleat officium. In quo non raro eadem coniunget. Dehinc modo contemplatione mentem tenebit, modo impellet veritate, modo suauitate permulcebit. Nec minus affectibus dominabitur, quos intendet, remittet, temperabit; & si, quæ plura efficiat, quæris, quæram ex te ego, quæ non efficiat? In singulis autem talis erit, qualem singulorum indoles poscit. quam induere

induere magnus artifex, quoties lubitum est, potest.
Atque si propius nos in hoc prodigium vniuersi, in
hoc compendium sapientiæ penetrauerimus, ora-
tione quidem defecti, quod intelligendo facilius
capitur, quid Poeta sit, sub exemplo tamen Poetæ
monebimus. Is iam erit Thiedericus. De cuius
carminibus vtinam vel commemorando id mere-
ri liceret, ne siluisse tantam rem viderer. Sed enim
video, quam onerosa res sit, plurima maximaque
paucitate & angustiis complecti, quod deterere
gnari rerum ac fœdare dicunt. Et quis ipsum sui
testem, ipsum præconem Thiedericum audire
non malit? Habet enim hoc virtus, vt sine nota o-
mni aut culpa vanitatis sese ipsa rectissime com-
mendare, ac in laudis æquum degredi feliciter sola
ac gloriosius queat. Loquantur æterna illa monu-
menta, famæ clarioris ora impleant, testatum secu-
lo ac orbi faciant: vixisse nouissimis temporibus
vetustissima arte virum, ingenio igneum, cantu cæ-
lestem, & quam felicestum terras, cum humanis
interesset, quam vero eius abscessu repente affli-
ctas! Debet enim optimus parens sibi suoq; hanc
gloriam, nobis ac posteritati hos fructus. Et vel
Germanica eius iustum explebunt volumen. in
qui-

quibus peculiariter semper excelluit. Iniuria gra-
titudinis fuerit, si omittam hoc loco fateri, quan-
tum ei hoc nomine Germani debeamus. Cœpit
superioribus annis, ope ac industria, cum aliorum
quorundam, tum præcipue Magni Opitii, lacertos
nostra commouere lingua. Ex quo non pauci exti-
terunt, qui bona fidelique opera robur eius promo-
uerent, nemo hætenus qui absolueret; nemo qui
similia Nostro conferret augmenta. Qui infinita,
quam ad Poësin, tam ad omnem linguæ concinni-
tatem spectantia correxit, inuenit, addidit, supple-
vit. Vt nihil de antiquis codicibus ac monumen-
tis, in quibus comparandis sedulitate pari ac felici-
tate utebatur, dicamus. quæ non parum scilicet de
progressu linguæ, ac conuersionibus veluti fatali-
bus, tum aliis, quæ utilia acumen eius fecerat, ipsum
erudiebant. Possemus nos magnifice hic efferre;
possemus vnum Iuuenem multis opponere capiti-
bus: nisi satius duceremus ipsis relinquere arbi-
tranda, qui, quæ nunquam obseruarunt, huic debe-
bunt. Fidem vt interea nostram ne in dubium vo-
cent, id modo petimus. Felicem vero patriam, si
diutius felici esse contigisset! felicem linguam,
tantis accessibus atq; incrementis mox aucturam,
C quan-

quantos & iam desperat, & adepta, facile omnibus certare potuisset! Quippe cuius vindicandæ exorandæque, præstantes quidam ac eximii in omni politiori literatura viri pulcherrimam non ita pridem cum Nostro societatem inierant. cui RECTISSIMÆ nomen patrius gentis nostræ candor & recti mores dederant. Abies, quæ inter arbores rectissima surgit, insigne dilectum. Præses ac velut Apollo musici huius cætus exoratus multi nominis dignationisque vir, cuius scientiam & virtutes diu est, quod optima talium iudex consensit, titulisque ac monumentis immortalibus venerata est Italia. Leges communi consilio, hortamenta pariter laborum ac limites, scriptæ. Thiederico cum maxime ocyus omnia promouente. Moras enim & cæteroquin pertæsus, & in publici egregii cura sacrilegum ducebat, fructui hominum ac utilitati quidquam eximere temporis. Sed enim fata distulerunt, rem seculi votis ambiendam. atque utinam duntaxat distulissent! Non existimo necessarium, quomodo in omni cætera sapiëntia sese gesserit, exponere. Quid enim dissimile à simillimo sibi vigore expectes? quique nullo magis quam paritate laborum ac constantia alitur, nec transcurrit quidquam,

quam, aut præterit, sed, quoquo se tulit, pertendit. Mathematicas disciplinas veram magnarum mentium palæstram, ac scientiæ cotem, consentiens doctorum fert opinio. Illis quamquam interualla tantum negotiorum dispungeret, vniuersam tamen matheos ideam, ac præcipue munitionum varias subtilesque artes, adeo perspectas habuit, vt ad exemplum vsq; ab ipsis talium artificibus commendaretur. Quod non semel aut perfunctorie factum memini. Etiam à pictorum solertissimis. Quos pænetrædebat sui, cum viderent hominem altioribus cunctis operatum deditumque, rectius de alienis iudicare laboribus, quam de suis quisquam inter ipsos. Neque de Musica hætenus expedio. Cuius longe longeque supra eam delectationem, quam plerique in superficie nobilissimæ artis quærunt, sciens erat. Cum enim fidibus suavissime actibiis luderet, his non contentus, per ipsa Musicorum penetralia ferebatur, nec ignorare, quæcunque pangendis cantionibus post priorum inuenta ætas & vsus adstruxere, sustinebat. Hæc est illa generis humani Siren, sed venusta, sed salutaris. cuius, si rectissime exerceatur, nec vires satis mirari, nec capere se aut peragrare amplitudinem peri-

tissimi quique profitentur. Hæc attollit, incitat, terret, rapit, miscet omni affectuum vicissitudine animos, id est, quid aliud, quam potenti imperio hominibus moderatur. Hæc feritatem aliis ac sævitiam, plurimis imbelliam ac pauorem demisit quondam ac excussit: hæc ea effecit, quæ moram referentis poscere ac otium nullus abnuerit. Atque hic, quid est, quod quisquam de diuina Nostri felicitate ambigere velit? qui inter remissiones ea absoluit, quibus ætatem alii absoluunt & consumunt. Fritillo, poculis, amoribus, lasciuia, diem, sæpe non vnum, sæpe & noctes comburere, refectionem alii; Ille otium longe deterrimum vocabat. Quod cum animos effœminet, rapiat, incendat, corrumpat, sensus omnes hebetet pariter ac obscuret, corpus eneruet, ac valetudini veluti victimam præparet, eccur remissionem denique vocari potius, quam dissolutissimam inertiam? Inter quam & segnia vota, æqual lance spatium vivendi dirimi. Igitur veteretur, deambulet, talis aut nucibus cum pueris minutis, ad exemplum Principis luderet aula Augusti: comessarentur, quibus id cunque volupe, assidue & ampliter cum Claudio: In Poppeæ crines, aut grassaturas nocturnas cum Nerone infantibus nirent:

nirent: sublimes curas in finorum stultitia temperarent. Sibi nec regnum esse, nisi quod ipse faceret, nec in eo talia probari meditata. Puerum equidem didicisse, laxando animum fortius intendi, sed & mascula seriisq; proxima meminisse proposita, quibus se acueret, & laboribus non otioso otio assuesceret. Tædium esse & pudorem, & malum nomen, & quidvis potius, quam vitæ partem, quæ laude vacaret. Quæ cum strenue ipse præstaret, nunquam in tempora & mores immittebat oculum, quin lepidum maximi post Aristotelem Philosophi versum, quo is

Obscuras mundi maculas, animasq; minutas
increpat, seculi corruptelis exprobaret. Ceperat enim illum tanta Scaligeri poematumque eius admiratio, ut pleraque eius scita festiuis ex occasione sermonibus ferret. Adeo in promptu & parata habebat. Ut & cætera, in quibus aliquid temporis posuerat ac operæ. Audisses eum omnium gentium nationumque non situm modo & interualla cum Geographis exacte referentem, sed cum Politicis ingenium, instituta, mores diiudicantem. Quid pace belloque præclare aut secus gestum, quo fato fideque consilia reipub. processerint, opes, fœdera,

C

3

impe-

imperium, tanquam ex viva integraque historia didicisses. Nec minus, quid geri apud quosque usus fuisset, aut apud nos esset, multiplex cognitio, & illa sine periculo experientia capaci animo impresserant. Cum non magis civilis illa prudentia ac publico bono habilis, separari ab historiae prudenter conditæ lectione, quam hæc, aut longus & plerumque infelix usus ab illa possit. In quo multi hodie falluntur, autumantes præceptionibus solis rem tantam expediri posse, ac libellis, nec absolutis, & sæpe non bene confutis. Quibus ut suam utilitatem quandam non detractum imus: ita umbris merito & ad indolem conferimus. Illæ, cum minores cadunt, non exprimunt totum corpus, sed contracta imagine veram eius speciem subducunt; nec ex parte omni, sed aliqua ostendunt, quod tamen non nisi ex omni æstimandum erat. Ita in historia omnia animata sunt & viua, licet interesse rerum actui, consultationibus, arcanis, ipsis mentibus, denique euentus omnes, omnia momenta veluti in speculo intueri: quæ si tu excerpere instituas, id agatur, ut ab usu talium magistro seiungantur, & sine eo trunca iam ac exanima à suo fine distineantur, quem non nisi integra contingunt. His
Ille

Ille mysteriis initiatus, quam puris manibus animoque ad Iurisprudentiam accesserit, quiuis intelligit. Quam eo iam studio amplectebatur, ea animi magnitudine penetrabat, vt cum cordatissimis viris ad antiquam beatamque æquitatem collineando, egregie eam ab impietate morarum, prolixitate consequentiæ, iniquitate sumptuum, quibus clientes ferme & causæ succumbunt, vindicaturus speraretur. Audierunt sæpe querentem amici, Germanorum ius in verbis ferme & sermonibus verti: ad opprobrium antiqui iustissimique temporis, quo facta iustitiam plurima, verba pauca constituebant: felicitate summa & tranquillitate. Nunc eloquentiæ in foro ac aulis intemperiem, inter omina patriæ sibi onerosæ ruentisque numerandam esse. Qua in re simili industria vsus est, qua prudentissimi imperiorum viri, res Græciæ olim nunquam lapsui viciniorens fuisse annotarunt, quam vbi eloquentia in causis publicis supra publicum euecta bonum, quod rebus, & quæ iis proxima, constat, faciendi gloriam obscurauit, ac exemit opportunitatem & successum. Itaque nihil prius ei aut antiquius visum remediis serpenti malo comparandis. Quæ si quis in fessam ætatem ac studiorum metam
reii-

reiicienda iudicat, is iure parum firmo niti vide-
tur. Tempus postulant & assuetudinem, imbiben-
da cum initiis sunt, meditanda per omnes moras
totumque adeo iter, quæ nihil mediocre in vtrum-
que rei afferunt publicæ. quæ per negligentiam
nunquam curatur, sæpe deprimitur. Audiente In-
uidia hoc dicam: Solonem nouum, nouum Sulpi-
tium, aut si qui rectius istis ad bonum commune fa-
puerunt, solers animus, & prompta eruditio &
propitium terris numen ostendebant. Quinimo
non Persia, diu moribus inuicta, non sapiens Græ-
cia simile decus vnquam extulerunt:

----- *nec Romula quondam,*

Vllo se tantum tellus iactauit alumno.

Quisquamne autem, vt, quemadmodum recensui,
ita exponam quoque hanc doctrinæ claritudi-
nem ac dilaudem expectabit? Et vero, qua lingua,
cui seculo enunciari ac persuaderi poterit? nisi quis
æstimari rarissima bonorum facile, vbi difficillime
gignuntur, animum induxit. *Magnum, diuinum,*
prægloriosissimum ii dixissent, quos maxima diui-
nissimaque fugiebant; solus autem sciendi splen-
dor præconiorum disertos faciebat ac solertes.
Virum vita emendatum, moribus singularē, exem-
plum

plum sanctæ antiquitatis quibus titulis ornet, Virtutis ipsius fuerit dispicere. *Huius pietati, innocentia, rectitudini, & simul his generosa veraq; nobilitati,* queis mactum felicemque omnes loquebantur, quæ ara, quæ columna conueniet? Quid quærebat illa Deo suo penitus addicta mens ac operata, quid amoris flamma, nec nubium intercedentium, obiectu repressa, nec extincta inimicâ hyeme, quid cælorum victrix industria precum, quid veneratio assidua & spes, & credendi sperata constantia, quid si non cæleste folium petebant, & coronam, & felicitatis cumulos, nec præmiorum finem? Et præiuerat viam causa salutis tantæ & autor. Quem hac ratione sequi vita pariter ac pietas est. Audiant hîc, si qui audire inusitata possunt. Quis est pius? Quis, nisi qui sacras euoluere paginas suetus nulli labori, nulli operæ parcit, abstrusissima quæq; inuenit, producit, illustrat, libros omnes, omnia monumenta, quæ ad diuinorum notitiam non inutilia animaduertit, pertractat, ediscit; quique omni ratione id agit, vt omnes intelligant, se summæ cum scientiæ augmentis in eo esse, quod est omnium. respondebunt ita, quos præ multitudine vnum præteriit scire, quod hæctenus omnia nesciant. Quis est pius?

D. respon-

respondebunt alii; qui purissimam legis diuinæ doctrinam ab omni errorum turpitudine ac furentiū impetu vindicat, omni telo tam prompte semper propugnaturus, si quis petere auderet, quam perspicacis est ad hostilia quæque conata animi. Quis est pius? respondebunt verbis rem gerere docti: Qui, quæ recta de Deo scit, recte eloqui & ordine curæ habet, magnificus sacrarum locutionum, potens inculcanda pietate, flectendarum artificio mentium compos. Quis est pius? Qui nullo horum contentus, vivendo req; & factis exprimit, quem mente solâ, sed totâ admisit, circumfert, tenet, suum Christum; in cuius non cognomentum magis quam imaginem ascitos se, meminere non negligentes huius sacramenti aut securi, respondebit pariter ac monstrabit Thiedericus. Huc enim velut directo cursu omnia flexit, huc studia artesque illas retulit, quibus ornari pietas, non parari potest aut absolui. Hunc scilicet ortum habuere diuina illa carmina, quibus in laudes numinis ac venerationem incitatum pectus, vitium priscis recentibusque Poëtis commune, diuinorum negligentiam, vicit ac longe longeque supergressum est. Itaque materiam ei non veniens dies, non
occa-

occasus sol, non terror nocturnus negabat. Vbiq;
lucem & Solem suum agnoscebat aduocabatque.
Cælum quoque ac terrarum fines, & rerum ordo,
& quæcunque natura intuentibus subiicit, aut ratio
cogitantibus, DEVS erant. In quo Dauidem admiri-
rari præcipue ac colere visus est. Cuius cælestes
cantus nostris subinde fidibus aptantem vtinam,
quam spiritus nunquam destituit & successus, tam
vita constantior animasset. Ingenti sæpe cum
voluptate in memoriam aureæ vocis redeo, quâ
*neminem, quantacunque etiam eruditione onu-
stum sublimitatis, quæ in carminibus Davidicis in-
effabilis spiraret, capacem, nisi pietatis ardentissimæ
vigore iuuaretur, dictitabat.* Ea iccirco ideam eter-
nitatis, heroici spiritus palæstram, felicitatis futuræ
ac dulcedinis pignus nominans. O quam vero,
quam salubri iudicio! Absistant profani, plorent
scioli, erubescant inepti elegantiarū arbitri. Tune
Pindari odas præpones, tune magnificentiam ob-
iicies? Omnis magnificentiæ apex & culmen, sed
inaccessum tibi & infestum, cantus Iessæi. Tune
dispositum quidquam aliter malis ac ornatum?
Deus est, qui disponit, qui ornat. secundas post
hanc vim superuecta terris anima agit. sed vbiq;

D 2 ad

ad normam sibi congruam. Quam nec in suis à
Rhetore accipere, qui se eruditos vocant, susti-
nent; nec in his domesticis viribus assequuntur.
Tunc humiliores, præ quod Græculus sonat, nu-
meros traducere audes? quorum ratio si te fugit (&
fatebere, si sapias) quid ignota iudicas? iuro autem
tibi, numeros grandiores nec ætas vlla vidit, nec
quantum est Aristarchorum, satis hos agnoscit, sola
autem cælo immerfa mens diuini obtutu suspi-
cit. Nec in templo Pacis scilicet, sed æternitatis sa-
crario de tantis sententiam ferre ac iudicare fas est.
Iterum procul, ô procul este profani, dum vestris
dissimillima moribus in Nostro contemplamur.
Qui hoc compendio planam facilemque per omnes
Boni Pulchrique fines semitam nactus, alacritate
maiori an felicitate decurrerit, haud pronum fuerit
discernere. Vitæ omnis vt ratio certa, ita modus
sustentandæ ac temperamentum. Victus ad natu-
ram iuxta & laborem exactus, ideo parcus, quia suf-
ficiens; imo vero ideo sufficiens, quia parcus. Vo-
luptatis perpetuum odium, cuius causæ acriores,
quod iustissimæ. Siquid concedendum moribus
esset (& corruptis agimus Germani) modo rationis
& copiæ ad frugalitatem ita reducta omnia, vt nec

con-

concessa viderentur. Continentia inuicta, rarissimum, inter tot prauis cupidinis irritamenta, decus merenti circumdederat. Diceres inter paucissimos nostræ gentis ad rem bene gerendam sobrium moderatumque non accessisse modo sed perseuerasse. Cultus ab omni vanitate ac ostentatione alienus, satis, id quod res erat, aduertentibus persuasit: animi eum non corporis exornandi curam tenere. Quem insuper alloquium facilem, conuictus ciuilem prodebat & comem. Adeo nemo minor fastiditus, nec parce cultus superior, nec benefactorum intra cuiusque mensuram gratia stetit, nec offensior cuiquam in longum ira vindictam condidit. Quæ si quis pro minoribus negligit, is quanto maiorum indicia præbeant, quamque ad societatem hominum inter se tuendam conducant, discat licet. Cuius vnice semper interfuit, vt rectissime ista ab vnoquoq; exercerentur, quorum causa natura rationis præcipue ac sermonis instrumenta excogitauit. Porro despiciere neminem, aliqui; ne despiceretur, vix vllus, optime Thiedericus potuit efficere. Intueri lubet virum, non illum quidem extra se quærendum æstimandumque, & tum intra se collectum, Virtutisq; pauperulæ sanè mulieris,

D. 3

sinum

sinum prementem, hūmili colle & superatu in specie-
ciem facili ad colendum capto. Discurrunt tota
magnificorum agmina, omnis vndique multitudo
propter locum venit: præteritur, despicitur, fasti-
dium delicatis, cœteris ludibrium debere se, tunc
demum discit. & quid? CONTEMNAMVR, ait,
causam ignominia, non ipsam intueamur. Ea est,
qua iam triumphamus. Sed id hætenus agamus.
Enimvero, vt à fastus derisionumque initiis ad ve-
cordiam peruenire plebs solet ac furorem, propius
incedentes quidam vellicare, quem impune ver-
borum procacitate luserant, hinc manus & ignobi-
lissima vincula intentare, inde saxa, & quidquid in-
sania ministrabat, denique cædem parare: quid e-
nim secure tot viros, tot minas transmitteret, io-
cumque in capitali sua re meditari videretur? Tum
vero ille ex altissimi montis fastigio, in quem exi-
guus collis subito discesserat, superimminens hu-
manoq; visu augustior, CONTEMNAMVS, inquit,
inanes nec læfuros conatus. Stat mansuris illa tabu-
lis lex præclaro semper inuidebitur, nocebitur nun-
quam. Etiam nulla spicula, nulli lapides pertinge-
bant. Quam infertam, sane quã elegantem, non ita
pridem est, cum excogitatam à se Noster mecum
com-

communicauit. Nec minus dextrè, quàm inuenit,
in omni vita præstitit. Cum enim alii verbis solum
ac dissertatione virtutes absoluant, ille eloquen-
tiam factis æquauit, an superauit. Idem, qui longè
primus fide gentis Germanæ & candore. Equidem
vereor, ne ineptæ laudes æstimentur rei, quam du-
dum facere desimus Germani. Quorum princeps
quondam gloria animus fortis nec fucatus; omnia
sincera nec usquam sibi dissimilia. nunc vero pri-
dem

----- *fugere pudor, verumque, fidesque.*
In quorum subiere locum fraudesque dolique
Insidiæque,

& colorum mille offuciæ. Omnia simulantur, ex-
ornantur, proponuntur: officiorum gratissima, a-
moris diluuium, pollicitationum neq; modus ne-
que finis: venalia omnia, sine vlla admodum ven-
ditione, sermo non index animi sed mango, infu-
scarunt seculi genium non reparatu iuxta & amissu
facilem. Et quid ruinas patriæ ac fata seu præuerti-
mus, seu potius suspectamus? Vbi enim, quibus
fulciri solis fracta queant ac instaurari, *dextra fides-*
que? Hæc redeant, & simul Salus propitia. Atque
ô, si visum ita nostræ malignitatis Vindici esset, vi-
veret

ueret integerrimus virorum Thiedericus, quid nisi instrumentum, nisi columen erigendi seculi inter primos daturus? Innoxia mens, Sincero Nativoque suo plena, nihil male planum aut integrum, nulli sinus, latebræ nullæ priscos mores & parem animo vultum in effigiem Boni viri vivam spirantemque composuerant. Frons aperta, serena; lingua non anteambula animi sed pedissequa, vbiq̄ue præferebat suum illud, *neminem fallere & bonam fidem, absque fuco & fallaciis more maiorum.* Quo sacramento auctoratis Bonæ demum Mentis imperium sequi fas est. Viderunt hoc amici, & videnti fatietatem optando flagitabant; maxime infelices, quod tanta spe multati. Vidi & ipse, non in postremis ab eo dilectus; vidi, & in pretium luctus redegere mihi fata, quod felicitatis habueram incrementum. Ignoscent enim haud iniqui mortalitatis arbitri, si ad mentionem tam funestæ iacturæ horrorem vincere & dolores nequeo, si summo desiderio eius, quam experiendo æstimare didici, amicitia afficior. tam absolutæ, tam constantis, qualem nec veterum, quantumuis amplificatrices suarum laudum paginae, obiecerint. Cum enim is esset Noster, vt amorem in se bonorum omnium irritaret

taret

taret aleretque, amicum tamen neminem aut for-
tuito, aut cito, aut parum arcte sibi iunxit. Eruditio,
& integer mores, & genius præstantium animorum
conciliator; hæc stabilia ad vincendum continen-
dumque non dissimiles naturas, hæc efficacia ad fi-
nem non aliunde sperandum. Utilitatis enim pro-
cul habitæ causæ. nisi quod ex conuersatione tam
eleganti, innocua pariter & maxima vtrinque spon-
te suboriebatur. Ecquis enim non doctior ac peri-
tior, ab illo doctrinæ elegantiarumque arbitro dis-
cesserat? Et gaudebat ille non interius tantum ad-
missis, sed fortuitis quoque aduentoribus prodesse.
Cum doctis rara & prisca, cum viris matura, cum
senibus prudentia, cum peritis apposita differen-
tem erat audire. Non venustas, non sales memo-
rem deserebant linguam. Nihil crudum affectatio
protrusit; nihil exactum celauit inuidia. Ars &
scientia vbique; nusquam eius species aut gloria.
cuius ipsa declinatio eruditissimi argumentum al-
tius illustres animos coniectantibus præbuit. Præ-
sentibus suavis & carus: desideriiis autem faustisque
nominibus apud absentes cultus. Quorum pluri-
mos, sola tam eximii decoris fama addictos ipsi fa-
uentesque fecerat. Quemadmodum enim, quæ è
E tene-



tenebricoso nubiū horrore sese emergit flamma,
non vno in loco conspicitur; etiamsi in vno oria-
tur; sic illustre ingenium & siderea virtus inter i-
psam inscitiae ac seculi noctem radios suos late
mortalium conscientiae impingunt. Vix certe Ar-
gentoratum hanc ingressus erat, cum non clarissi-
mis modo viris coram se approbavit; sed alibi quo-
que, ac praecipue Augustae Vindelicorum noscia-
marique coepit. Neq; non testatum ipse faciet Ma-
gnus HENISIVS, quid de eo senserit, quid sperarit.
Est ille vir à multis iam annis inter literarum vt æ-
stimatores dexterrimos, ita fautores summos nu-
merandus. Præter enim medicas artes indutum
politioribus studiis animum summa laude & suc-
cessu pari ad promouenda eadem applicuit. Qua-
libus viris placuisse (quid tenerrime amatum esse?)
non in infimis præconiorum habendum, ideoque
nec omittendum hic sine piaculo videbatur. Et
merebatur Orbis uniuersi Doctioris applausum.
quem mox tulisset, nisi ingentibus præcisa diutur-
nitas & iratum terris numen aliam gloriae inissent
viam. In ipso flore ætatis studiorumque, inter gra-
tulantium vota, spectantium lætitiā, inter spes &
omina patriæ, inter ipsos Academiae huius am-
plexus

plexus (& vix annus ierat, ex quo se eius credidit
fidei) crudeliter & miserabiliter, per vim & insons
confauciatur, mulcatur, interimitur. Subtrahit hic
se oratio, & difficilis mihi cum angore meo lucta o-
ratur. sed eluctandum tamen est. Scelus execrabile,
horrendum, omnem fidem, omnem atrocitatem,
exemplum omne excedit: vnum à grassatorum,
latronumq; agmine, innocuum purumque à con-
sceleratissimis viuentium, clarum celebremque ab
illaudatissimis adortum plus quam sicariis ictibus
cecidisse! iacenti insultatum esse, & quid dicam
amplius? nullius bestiae, nullius daemone ferociae
aliquid reliquum factum. Iacebat miserandus Iu-
uenis, defecerant illi artus, illa vis, quae multis diu
sola suffecerat, fluebat vberrimus sanguis, animi
vigor violatus erat & subductus: omnia tristiora
nox fecerat; qua soli carnifices gaudebant, aeternam
mox inuoluendi. Tollitur ab euocatis commilito-
nibus, alligantur vulnera, domum portatur fune-
stissimum onus. quam mox lamentis totam actu-
multum replet. Inter quae redit paullatim animus.
Hic vero palam exclamandum est, vicimus: Sic
quoque euasimus parricidales manus, & ictus, &
miserias. A quibus mox in caelum & Deum suum

conuersus, maiora omnia peccatis, & quibus vitam inquinasset, criminibus se commeritum clamat: at vero clementiam eius, illam vniuerso & seculis maiorem, illam toties promissam sanctè, præstitam firmiter, hanc se amplecti, hac portum petere, hac finem malorum & æternam requiem iam tenere. Et o pasce me, o sustenta me, mea vita, meum gaudium: corporis, inquam, sanctissimi & sanguinis epulo dulcedinem tuam, Liberator Vnicæ, gustandam præbe. id pignus, & sacramentum, & subsidium, ad Te mox euolaturus. Non triumphabunt equidem hoc scelere interfectores mei, quibus ego lubens ignosco, nec recordari eorum, quæ infanda perpessus sum, quidquam lubet. Particeps post hæc, quod anhelauerat, solatii, & refectus suo Christo, nunc fortiter exeo, inquit, nunc cælorum patet ianua, quo iam præmissi animum, vnde in me descendit æterna illa Mens. & quam mox videbo nuptias agni, & iubila, & triumphos? Amicos deinde assidentes commasculato intuens vultu, à nimio mœrore vt abstinerent animum, amicitiam tamen ne cum ipso efferrent, cohortatus; additis, quæ suprema voluntate ordinare constituerat, totam virtutem aduocauit. ac in se colle-

ctus

Etus vicinam mortem & spectauit intrepidus, & quam constantis animi non vana antehac præbuerit indicia, aut extulerit laudes, in rei præsentis spectaculo omnes docuit. Miraculum dedit illa dies non videndi rursus exempli; nec certiore argumento vnquam patuit, *quam egregia res sit, mortem condidicisse*, & ad eam absq; mortalitatis sensu æquo magnoque animo peruenire. Solent gentiliū sapientissimi, cum utraq; buccas laudibus inflare, virumque, vt ipsi vocant, orbe maiorem celebrare instituunt, aduersam irruentemque in caput non cessuri Herois Fortunam collocare. (hanc enim vbique Deam iactant inepti mortales, nusquam inveniunt aut agnoscunt) ibi tum ictus, & vulnera, & mutuam luctā tanto extollunt splendidius, quanto facilius finguntur inania, quam vera prædicantur. Nulla deinceps laurus, nulla prætexta, nulla pompæ instrumenta sufficiunt: ita instruunt victorias, spoliūque diuitias ostentant. Amoueantur somnia; euanescat strepitus. Verum mihi victorem, & sine exceptione gloriā decorum, quibuscunq; illustriora quam speciosiora cordi sunt, intuemini, & sententiam ferte. Stat æternus Imperator, maiestate, fulgore, autoritate metuendus pa-

E ; riter

riter ac venerandus. Age, commilito, inquit, maxima res efficienda. labor, & pericula, & mors te circumstant. Euadendum est ad me, aut hostili arbitrio succumbendum. Media omnia obsita, intersepta. Nec uerbate solum mea, sed exemplum sequi volo. nisi tu, quomodo in hoc folium ipse perenderim, de meminisse potuisti. Nec mora, expediunt aculeos validi Dolores, vellicantur ilia, artus omnes, omnia membra ardent, vigor corporis & vis vltima properè vrgetur, expellitur, pectus opprimitur, Mors ingenti pondere ferocissime connixa incubat. Thiederici vicem cuncti queruntur, horrent, trepidant; Thiedericus etiam lætatur. An enim palmæ propinquantem tristari fas esse? Corpus per dolorem ad doloris immunitatem, animam in possessionem præviam festinantem faustis ominibus prosequerentur; discerent contemnere metum necessarij transitus, deponerent inutiles curas: ad fata pergerent quotidie, ne ipsa ex nec-opinato præverterent industriam. quæ hoc compendio rectissime vincerentur. Sibi pridem sordere seculum & moras tenebrarum, quas per egregios labores & profutura tormina deseruisse in lucro semper putauerit; nunc autem sentiat, postquam

quam in limine regiae caelestis constituto grande
arcanum patuerit; vitam, quam in terris vivimus,
continuatis mortibus constare, orbem ipsum ni-
hilo proximum esse. Acciperet igitur summus a-
gonotheta spiritum, quem dedisset, foueret suum,
quod repetisset, munus, eluctatum suis auspiciis
tandem Victoribus adderet. Adesse spei finem, &
coronam gloriae, & largitricem gratiam. Iam sal-
uum se, iam felicem, iam aeternum esse. His & tali-
bus omnia etiam deficientis (quamquam quis defi-
cere caelesti vita plenum dicat?) momenta distin-
guebantur. quod voce, nutu, gemitu, ingredientibus,
& pietatem ab ipso coeptam continuantibus ami-
cis subinde est testatus. quos ut manu, ita caelum co-
gitationibus contrectabat ac tenebat. Donec
compage corporea liberum e vita, tanquam e cu-
stodia, postquam & satur aegritudinum & vacuus, in
amplexus Redemptoris sui ruentem innocuum lu-
men, ac aeternitatis genius, & sinus Numinis inuol-
uere. Non decet generosos manes, comploratio-
nem denuo instituere; serum est conclamare, plan-
gere, ambitionem ad luctum afferre, aut ex eo ca-
ptare. noluit fieri sibi talia Thiedericus. Noluit mi-
nora rerum, quae consuetudini aut imbelliae, raro
amori

sup

amori dantur; vt maiora, quæ meritis semper est,
semel post cætera & sincere reportaret. Antonium
quidem legimus, cum immani parricidio, qui mi-
nime debebant, Cæsarem ac pæne rempublicam
Romanam iugulassent, simulacrum ita aptatum,
vt vulnera singula & contumeliam corporis ob o-
culos poneret, è funebri lecto prosequenti osten-
disse multitudini: eaque re tantum miserationis
invidiæque concitum esse, vt in ultionis cupidita-
tem velut amentes ac impotes sui summa constan-
tia omnes accenderentur. Quod si ego hic erigere
vellem, si conspectui gratissimum quondam spe-
ctaculum, vt erat omnis demensus extincto honos,
obiicere, si defloratam iuuentæ gratiam, faucium
caput, & manus, & perfossa ilia; si brachia, cerui-
cem, tergum, latera, liuore seruilis supplicii horren-
tia, si vim ultimam, si indignissima quæque, & quæ
solo visu discas interprete, quodam modo adum-
brarem: quis tumultus pectora, animos, linguas,
Orbis fidem & vindictam cæli clamitantes, con-
cutiet, aget, rapiet? Ac ultionem quidem supremis
verbis ii mandare olim solebant, quibus nec vita
hoc iucundius bonum. Thiedericus, vt erat Chri-
stiano dignum, nec mandauit, & deprecatus est, &
sic

sic tamen vel maxime, quibus vindicis gladii est
potestas, commisisse est putandus. Publicum istud
scelus, publica vindicta. non vnus vir, non humilis
literarum alumnus, sed salus reipublicæ, sed auto-
ritas iustitiæ, sed Dei violata est potestas. Nocent
exemplo non in præsens modo flagitia, sed in po-
sterum impunitate affligunt seculum, trahuntque
imperii fundamenta, quæ seueritate ultrici con-
seruantur. Enim vero fecit, facietque, si qua pote-
rit, optimus iustissimusq; Magistratus, ne quis con-
queri, nisi iniquus, possit. at enim alta nox textum
sceleris & anfractus tegit, nec nisi illustribus illis ac
vindicibus Dei oculis penetranda. Ille iam dudum
clamorem innocui cruoris, & gemitus carissimi
sibi capitis, & Sceleratum vicum, & Furias inferna-
lium Dromonum, suis, an alienis & maioribus agi-
tati sint, & latibula, & labyrinthos perspicit, dete-
statur, vlciscitur. Quem enim fugies bestia? omnia
implet iudex tuus. Quo secedes? vbique tuum sce-
lus, tuus vindex te expectat. Quod speleum te oc-
culet? nullæ tenebræ id celant, quod ignis consu-
mens insequitur pariter ac ostendit. Ipsa quinimo
Terra, quæ trepide admisit, quem furoris tui præ-
dam feceras, sanguinem; & Aer, in quem tenua-
tus

F

tus

tus ille infestum noxiumque tibi effecit; & Aqua,
quæ toties erubuit tuo pudore; omnia rerum vin-
cula prospectura securitati suæ, ne dissolvas, qui
maiora sanctioraq; temerare ausus es, securitatem
tibi omnem ac receptum conspiratione quadam
præciderunt. Iterū hoc audi, ignauissime nebulo-
num: ita ne anguste suppliciorum metum determi-
nas? periisti, quoquo venis. & hoc solum tibi re-
stat. Nisi si tu infernum subsidio potius quam cu-
stodiæ legeris. quem in sinu iam, meditamentum
futuri cruciatus, gestas. Extabitque interim, dum
virtutis vlla erit cura, dum inuidia scelerum mane-
bit, vniuersum per orbem, monumentum huius
parricidii; quod diaboli mancipis, omnibus Fu-
riis succincti, & succingentes, delictum seculi, spem
posterorum, innocuæ nobilitatis virum, acerbita-
tibus inauditis dilaceratum, circumuentum insi-
diis & vi, Naturæ violatis legibus, & societate ge-
neris humani ruptâ, peremere. Flebunt Thiederi-
cum vtriusque orbis incolæ, & quibus notuerit, a-
mabunt. Flebit patria, suo destinâ, flebit Germania
nouo fidere orbata. Flebit Academia, flebit cura-
bitque memoriam huius rei ipsa Eruditio, immane
quantū hoc vulnere affecta: flebit, quantum erit è
post-

postgenitis bonorum. Non flebit, aut parce saltem
flebit grauissimus Genitor. Noli absurdum putare,
Vir Clarissime, inhibentem non sua ui indomitos
inter initia doloris impetus: noli mandata vocef-
que filii morientis crebras referentem aspernari:
noli durus esse quærenti finem & pondus supremæ
voluntatis. *Portate dilectissimo Patri, quid unum,
quid postremum petam: ne me plangat lugeatq; im-
modice, sed temperet dolori, nec æternum suscipiat.*
*Hoc per ego meos cineres, per vitam, quam mox vi-
cturus sum, per paternum amorem, quem implevit
in me, nec dolendo implere in posterum volet, oro
quæsoque. Has preces, Amici, pectoribus ve-
stris relinquo infigoque penitus; simul, ut ne reli-
quum quid, quo minus impetretur, faciatis, solatia
undeunque & fomenta adhibituri.* Ita iussit filius,
ita petiit; ita petimus amici: ita faciet, quod nec
vivo quicquam negare sustinuisset, nec functo, sal-
uo manium honore, potest, pectus paternum. Et
vixit Ille profecto, ut gaudium; mortuus est, ut gra-
tulationem cæterorum & Tuam mereatur. Cum-
que allocutioni meæ peculiarem iam destinaue-
rim paginam, non quod egere Te rudibus solatiis
autumem, sed ne parum meminisse officii, quod

mihi amicitiae ius imposuit, videar; ideo in vnius
filii suspiriis hic desino. quae vel sola omnium mo-
mentarationum quin victura apud Te sint, nullus
dubito. Te vero, Chiron Augustane, HENISI,
Te, literarum pereuntium obex, STAVFFERE, qui
Nostrum filii fratrisque loco semper habuistis Cæ-
litem, felices dicam an infelices, quod morienti
non affuistis, adhuc ambigo: ita multis nobis ma-
gnisq; stetit ea res doloribus. quorum imago nunc
quoque sepiissime terret animum ac stupefacit, illos
impetus cruciatuum, illam vim, cum qua vi-
gens fretaque iuuentute anima circa avulsionem
suam est luctata, male fortiter intuentem. Vos, in-
quam, quibus assidere patienti haud contigit, asse-
disse ut videamini, curatote; dictas putatote dicen-
das volentibus voces, quibus memoriam sui & a-
micitiam ingenii vestris ac tutelae commendave-
rit. Prosequantur ignavo questu alii Thiedericum;
vos canore perennis famae, & genio amoris æter-
nitati eius deuoti obstrictique manebitis. Nobis
minoribus, quatenus id non datum est, efficiemus
tamen, ne cum ingratis vixisse, aut indignos amasse
putari queat; nunquam memoriae ac pietati finem
facturi, nunquam societatem studiorum, & conui-
ctum,

Etum & quæcunque præsentium explere animos
nequibant, parum reuerenter culturi. Quidquid
agemus, quidquid consultabimus, quidquid pan-
gemus, quidquid pertendemus, quidquid errabi-
mus, quidquid ridebimus aut plorabimus, suam
mentem, suam decus, normam suam, suam
desiderabit Thiedericum. Huius imago vigi-
lias, eademque somnos interpolabit ac distin-
guet. Menses quoque, quid autem menses? dies,
quotquot annuis recursibus notantur, singulos
non aliis imposterum fastis numerabimus. Thie-
dericus erit, quem cessantē ab egregiis factis nun-
quam inuenit oculus mundi ac diei pater, nun-
quam reliquit. His, tanquam bullis splendidibus,
ritu antiquo, publicum Famæ templum quotidie
insigniemus. His felicis seculi ominibus conse-
nuisse gaudebimus. His, si feros largiturus sit an-
nos vitæ arbiter, quasi redditâ iuuentute reuirefce-
mus. Imo vero horum desiderio exuere mortalita-
tis togam, Deoque auspice mansuram repetere a-
micitiam optabimus. Illud etiam, quod vnum nol-
lemus, cum cætera abruperit, proh dolor! sed ta-
men lætabimur, ministrasse valetudini, oculos con-
didisse, extulisse corpus humeris. Cumque mors

ipsa, tam fortiter, tam constanter obita plurimum
honesti solatii suppeditet, contemplatio tamen vi-
tæ per virtutem actæ, quid nisi plausus, & perpetuos
in nobis triumphos procurabit? Mittemus festam
per vniuersi, quaqua patet, limites vocem, dice-
mus seculis ac ætatibus: Thiedericum laude feri-
mus. Thiederici vita speculum est. Illum omnes
intueantur, qui omnes docebit. Ille viuendi regu-
lam det, qui moribus semper splenduit. Ille anti-
quitatis ferat gloriam, qui exempla antiquorum vi-
cit. Thiedericus à puero emendatus. Thiedericus
ad virum vsque intemeratus. Thiedericus ante ca-
nos senex. Princeps iuuentutis, gemma Thurin-
giæ, æmulatio Saxonix, voluptas politiorum, ami-
cus virtutis, familiaris doctrinæ, hostis criminum,
hostis malitiæ, & iam Victor. Hunc colamus qui
recta colimus, hunc imitemur, qui pulchra secta-
mur. Religionis integritatisq; summus, scientiæ
inexhaustus, animi firmus, fortunæ imperterritus,
inuietus calamitatum; materia & seges solidæ lau-
dis. & consentient omnes manifesta præconia
Thiederici. Hæc iterum iterumq; ingeminabimus,
hec ad sidera iactabimus, hoc omni ope agemus, ut,
cum quo viuere iam non possumus, eius vita ac lau-
dibus frui nunquam desinamus. DIXI.

CONDITORIVM THIEDERICI.

seu

CONSOLATIO AD PARENTEM SVPER
OBITU FILII.

Amplissime Vir.

Veni & vide. Hic est locus quietis, & spei, & gaudii, & amœnitatis, quamquã non amœnæ. Hic Filium tuum cõdidimus: hic decus Tuum pariter ac Nostrum ad spem resurrectionis seposuimus: resumturi, cum suprema iubebit buccina. Arceant fane, quicunque imbelliâ pietatem metiuntur ac fœmineo planctu, à filiorum cadaveribus parentes; acerba ex oculis funera surripiant; sepulcra omnibus ostendant, præterquam cui ostendi præcipuè oportebat. Virum, & Christianum, genitorem, & sapientem, ad filii ossa, non ad questus & dolorum impotentiam, iure maximo aduoco: nec ab officio interim & egregio memorique affectu repello. Veni, & vide, & considera. idque paternâ, sed generosâ ac Tuâ mente. Titulos mihi aspice, & consentientis Famæ officium. Prima se oculis vox offert:

*Quisquis spectator aduenis, caue ne profanus adeas,
impius recedas. Imparem, dico, ne adferas, mœ-*
stum

*stum ne hinc auferas animum. Virum, fortem,
magnanimum, absolutum nemo sanus luxit. o-
mnes venerantur, collaudant, intuentur.*

Subsistamus hic, Pater optime, constantiam votis
placemus, ne indignum eo, quem visimus, in-
dignum nobis non ex officio officium festinemus.
Referantur iam oculi ad sequentia.

*Audi hoc amplius. DEI Præpotentis, Benefici, Sa-
pientis numen, hinc suspice, & adora in limine nu-
tus. Ille pectus igneum, vi suâ ac cælo instruxit.
Ille artes, linguas, scientias in electo vase condidit.
Ille tot ac tanta uni contulit, quæ multis negavit.
Ille lætitiâ hanc parentibus, patriæque & bonis
fecit. Ille perpetuam apud non ingratos esse iussit.
cessare, ubi cesset gratitudo. Quid enim ereptum
quiritare? quod repetiit auctor suus & dominus.
Quid contra mentem Vnius Mentis lugubre fa-
cis, quod non intelligis. Pateat arcanum cæli. di-
scant, quibus nulla hebetudo, nulla obstat impie-
tas. Sanctissima & suprema Maiestas bonum
factum esse iussit, ut intelligant tandem habitato-
res orbis: Bonos præstantesq; viros usuræ com-
modari non peculio. Eorum dotes perennes esse,
nec cum vitâ finiendas. Debitores fieri, quicumq;
usi*

*usi sint, aut utantur. Lamentantium neminem
intelligere, quid lamentetur. nec uti quidem scire,
cuius usum desiderare in ipso possit. Invidia igitur,
non pietatis id esse. Denique fixum manere
ratumque, vitam & excessum, bona malaque,
pro arbitrio diuinitus imputari mortalibus. Non
tempore, loco, ullâ re determinari ista posse. Vnum
certum esse, aliam aut certio rem viam nec quaerendam,
nec inueniendam. Si quis secus faxit,
hunc suae temeritatis penam, prout visum S. I.
fuerit, luiturum.*

Hic vero viuo flumine opus est; hic lotas purasque
manus tollemus; hic dicamus: Fiet, quod iussisti,
Magne Imperator. Filium dederas, exornaras, e-
uexeras: gaudeo ac immortales habeo gratias. Rur-
sus admouisti ad Te propius, ex vlnis meis & spera-
tis amplexibus, in tuum recepisti sinum: id quoque
grandis beneficii debitorem me facit. Meliora in-
videre nolo: nolo in deterrima & ruinas nostras re-
tractum. sit maneatq; mihi salutaris clementia Tua;
ea me, si quid dierum superest, conseruet, ea filium
mihi, me filio, cū voluerit, reddat. Et scio, Vir Sum-
me, Te pridem hæc & maiora animo agitare. Ne-
que audietur hic infelix illa orbitatis nænia: Fili cui

G

me

me reliquisti? Cui enim? nisi Deo Sospitatori ac
Liberatori; Patriæ & Academiæ clientibus. Quas
si in locum filii publicus parens adoptas, orbis iam
non eris aut desertus. Non audientur vulgares can-
tiunculæ, ô si aut habuissem nunquam, aut non a-
missem, quem habui! Iuuenem amisi, ô si matu-
rum annis, spectatum gloria videre licuisset! fato
saltem suo obiisset, nunc sicaria manu cecidit! &
cœtera delicatis solita mollities. Reuertendum e-
nim est ad lapidem nostrum. ubi proxima hæc sunt:

*Porro florentem ætatem nemo interruptam dicat. flo-
rem verum, nec imminuendum adeptæ est. Nec
annis æstimanda maturitas, sed gloriâ. Quam, si
mortales respicias, absoluerat; si cum ea, qua in
calo fulget, compares, inchoauerat; XX & IV
annos vixit, ne, quotquot futura sunt, seculis mo-
reretur. Puncto temporis uniuersam eius vasti-
tatem complexus. At auulsus est vita! & quam
segniter tu, ac minutatim subduceris, quam longe
distineris ab ista meta. At insons, at crudeliter ce-
cidit! quorum alterum nec luctum habere potest,
nec alterum noxam. Crudelius mactatus ad ma-
iestatem suam pertendit Christus. Heroum primi
etiam suorum perfidia occubere. Quam in-
opinus dolor!*

Quin

*Quin quæ non metuis, tibi proxima crede. volamus
Et fugimus: requies unica, mortis amor.*

*Heu grandis iactura! quia nam patria suæ felicitatis
instrumentum ante fructum amisit. Tu, qui que-
reris, qui otiosè stupes; sarcias, opponas cervicem,
Thiedericum regeneres, si potes. Sin:*

En vindicta Dei cæcatas denique terras,

Quid negligāt, monuit. Nec nisi sic sapimus.

*Thiedericum, virum cælitum, plorare, mori est; i-
mitari, vivere; laudare eius merita, triumphare.
Hoc agamus. Nemo sibi prædictum neget. Vio-
latores manium æternorum iterum exesse, & plo-
rare suam temeritatem, quantum opus erit, iu-
bentur. Tu, qui melior, qui rectior, dicas: Euge,
sublimis anima, Tecum vivamus, ut bene, ut
semper vivamus.*

Perlustravimus conditorium. sed ecce, maiora,
quam in ipso, solatia non inueniemus. Adeo occu-
pata sunt, quæ dicturus eram, adeo publicæ vocis
rationes, priuatis multum antecellunt. Neque pro-
fecto plura apud memorem, & quod propius huc
facit, magnum dici fas est: nisi eadem opera diffi-
dentiam fateri, & exprobrare velimus imbelliam.
Quorum neutrum à calumnia procul abest. Nec

etiam meliore ad hanc rem magistro vti, quam Te ipse possis, imo vsus iam olim es: neque vero descivisse ab animo forti es putandus, qui vices omnes, omnia intervalla in constantiæ tenore ignoras. Sciebas utique, quem, cui, filium genuisses: videbas breuem vitam, beatitudinem æternam esse; agnoscebas quanta ingenia ostenderentur tantum terris: reputabas quanta habuisse talem laus, quantum esset solatium, quod rarissimis feliciis vix obtigerit. Quid ergo attinet verba cumulare, quid exempla egregiæ mentis ex longinquo petere? Nihil horum deficit intuenti filium. Quam animosè mortem excepit ipse, & excipientem aspicere alios voluit. Quam illustri voce, ne gentilium constantiæ Christiani cedamus, monuit. Neque enim in verbis rem verti ac virtutem. ostenderemus, quo robore mentis recordari saltem & aspicere, quod ipse perferret fortiter ac toleraret, possemus. Subita casuum & iniurias; diuinitus permitti. iis neminem eximi, omnes inde liberari. Est præterea modus pietatis: est meta paterni amoris. desperatio in Deum, & quiduis potius vocanda sunt, quæ plus ultra hic procedunt. Quid quod nunquam tantum doloris vel apud effœminatos mors Thiedrici,
decrici,

derici, quantum lætitiæ eius vita apud non iniquos iudices est habitura. Faue itaque æternitati Filii Tui, Amplissime vir, quemque superstitem in hoc ævo optaras, ævo omni ac terrarum orbi superstitem in cælo factum lubens lætusque adspice; id est, venerare Deum, ama filium. Hæc sola, sed vera parentatio relicta est.

BOECLERI ODE PINDARICA

In obitum cl. THIEDERICI.

STROPHE I.

R Egina mentis ignea,
Herois ingens officina
Spiritus, Siren melior marina,
Pieri, seu te lenta minorum
Cohors Quiritum, non habilem teri,
Pepulit, seu tibi sævi obstrepit horror
Martis, nec lituos inter iuvat esse sonoram;
Iniuriosâ sorte venustior
Surge, modosque graves & invi-
ctam demum chelyn expedi,
Nec dithyrambos obloqui ferro time, &
Carmina pugnis.

ANTISTROPHE I.

Turbant, minantur omnia,

Nec iam per infestos apertus
It Furor, sacrum domuum quietem
Ac urbes infame pererrat
Scelus. manus furtiva, profana, Sty-
gia, Natura quod, et quod tremat aether,
Quod refugus toto sola versetur uterque
Vultu, quam inauditum peperit nefas!
O tenebra! o quibus expiata
Nox sacris repetes tuum
Censum? paventis macula iungit temporis,
Et fuga, & horror.

EPODOS I.

Nil Thiderico maius occidisse,
Nil uiguisse pari decore,
Nil tristibus
Æque de minui repente fatis
Vidit priorum cura, vel gens postera
Lugebit, si tristibus ullis
Hic usus tamen, aut causa doloribus.
„ Planctibus sepulcrum
„ Multoque fletu, quisquis ab exitu
„ Non vim Libitinæ ac imperium
„ Evitare potest, repetat: sua gloria vates
„ Eximiosq; viros tuetur.
„ Morte in media vivere gestit

„ Aurea

„ Aurea virtus,
„ Seclorumq; potens, suis
„ Æuum triumphis computat,
„ Et vano superimminet orbi.

STROPHE II.

Ille & canoras sidera
Iussit fides mulcere, solemq;
Qua vehit, prompto comitatus ausu,
Auratis librauit habenis
Orbem, nouus Tirynthius, & stupor
Populorum. Taceat Thracius Orpheus,
Victa suos cesset cantus memorare vetustas:
Nil audietur, præ numeris lyræ
Perpetuæ, triplicisque Phæbi:
Seu te Græcæ rotunditas,
Seu iuuerit Romana Suada, Teutonis
Seu graue plectrum.

ANTISTROPHE II.

Minora (quamquam quid minus
In maximis?) non iam celebros.
Gallus adstat, torpet Iberus, Ita-
loque animos posuisse volenti est.
Gentes superba cuncta, sed heu! breui
Domino cælitis huius citharæ de-

ferre

ferre student, & iam meliori cedere dulce est.

Cum mox scelestâ semideum manu

Quis temerat? fera Caucaſi gens,

Et ſancti impius hospitis

Latro Scythes, & Turca cælo dimicans

Horreat omen.

EPODOS II.

„ Sic nil ſupremo perſtat allevatum

„ Vertice & Conſpicitur, fugitque

„ Faces ſoli,

„ Quidquid ſidereum gubernat aurum.

Huc nempe pietas, huc tetendit caſtitas,

Oppoſitusq; adamas malefactis,

Et mens indocilis decipere, aut capi,

Huc inuſitata

Constantia, ardor, mens hilaris, vicens,

Ac omnia tam priſcis fidibus,

Quam maiora nouis. et pridem totus ad aſtra

Dulce uocantia Thiedericus

Ibat. Noua iam carminaterras

Vndique cælo

Aduertent. Mea tu, ſonis

Nunc cedetantis, Pieri,

Ipsa uolet quos reddere Fama.

F I N I S.

7. 550

ULB Halle
004 958 497

3



V077

W. C.





PETRI SA
THIED
JENE

LAUDA

SCRIP

JOANNE
BOEC

ARGENTORATI
HA

ANNO CIO

